



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

5. Animi vitia & morbi è Protoplasti delicto orta.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

IV.

S Augustin.  
lib. 22. de ci-  
uit. cap. 21.

tates? Ego tantillo pretio mortem, &amp; aeternum poenitere non emo.

Ex quibus origo nostrorum morborum ceterorumque malorum docet nos non solum à peccatis attentius cauere, sed etiam diuinam bonitatem agnoscere, & laudare, non accusare, ut quae nouerit, etiam de malis bona procurare. Nam ex ipsis peccati malis discimus peccata fugere, & ad illam vitam aspirare, in qua mala nulla aderunt, nulla aberunt bona. Itaque quia spei nostrae gaudium propter Dei laudem non est tacendum, & de intimis ardentis sancti amoris medullis dictum est: Domine dilexi decorem domus tuae: (ait S. Augustinus) de donis eius, quae in hac erumnesissima vita bonis malisque largitur, ipso adiuuante conijciamus, ut possumus, quantum sit illud, quod nondum experti utique, dignè eloqui non ualeamus. Omitto enim, quando fecit hominem rectum: omitto vitam illam duorum conjugum in Paradisi fecunditate felicem, quando tam breuis fuit, ut ad nascentium sensum nec ipsa peruenerit: in hac, quam nonimus, in qua adhuc sumus, cuius tentationes, immò quam totam tentationem, quam diu in ea sumus, quantumlibet proficiamus, perpeti non desinimus, quae sint iudicia circa genus humanum bonitatis Dei, quis poterit explicare?

V.

Idem lib. 22.  
de ciuit. c. 22.

Nam, quod ad primam originem pertinet, omnium mortalium progeniem fuisse damnatam, hac ipsa vita, si vita dicenda est, tot, & tantis malis plena, testatur. Quid enim aliud indicat horrenda quadam profunditas ignorantiae, ex qua omnis error existit, qui omnes filios Adam, tenebroso quodam sinu suscipit, ut homo ab illo liberari, sine labore, dolore, timore non possit? Quid amor ipse tot rerum vanarum atque noxiarum, & ex hoc mordaces cura, perturbationes, mœroros, insana gaudia, discordia, litas, bella, insidia, iracundia, inimicitia, fallacia, adulatio, furtum, rapina, perfidia, superbia, ambitio, inuidentia, homicidia, parricidia, crudelitas, sauitia, nequitia, luxuria, petulantia, impudentia, impudicitia, fornicationes, adulteria, incesta, & contra naturam utriusque sexus, tot supra, atque immunditia, quas turpe etiam est dicere, sacrilegia, haereses, blasphemia, periuria, oppressiones innocentium, calumnia, circumventiones, prauaricationes, falsa testimonia, iniqua iudicia, violentia, latrocinia, & quidquid talium malorum in mentem non uenit, & tamen de vita ista hominum non recedit? Verùm haec hominum sunt malorum, ab illa tamen erroris, & peruersi amoris

amoris radice venientia, cum qua omnis filius Adæ nascitur. Nam quis ignorat, cum quanta ignorantia veritatis, qua etiam in infantibus manifesta est, & cum quanta abundantia vana cupiditatio, qua in pueris incipit apparere, homo veniat in hanc vitam, ita ut si dimittatur vivere ut velit, & facere quidquid velit, in hæc facinora & flagitia, qua commemoravi, & qua commemorare non potui, vel cuncta, vel multa perueniat?

Sed divina gubernatione, non omnino deferente damnatos, & Deo non continente in ira sua miserationes suas, in ipsis sensibus generis humani prohibitio & eruditio, contra istas, cum quibus nascimur, tentabras vigilant, & contra hos impetus, opponuntur, plena tamen intervim laborum, & dolorum. Quid enim sibi volunt multimoda formidines, qua cohibendis paruulorum vanitatibus adhibentur? quid pedagogi, quid Magistri, quid ferula, quid lora, quid virga, quid disciplina illa, qua Scriptura sancta dicit dilecti filii latera esse evadenda, ne crescat indomitus, durusque iam durus, aut vix possit, aut fortasse nec possit? Quid igitur his pœnis omnibus, nisi ut debelletur imperitia, & prava cupiditas refrenetur, cum quibus malis in hoc seculo vivimus? quid est enim, quod cum labore meminimus, sine labore obliviscimur, cum labore discimus, sine labore nescimus? cum labore strenui, sine labore inertes sumus? Nonne hinc apparet, in quid velut pondere suo proclivis, & prona sit vitiosa natura, & quanta ope ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnicies, pigritia, negligentia, vitia sunt, utique, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam, qui est utilis, pœna sit. Sed præter pueriles pœnas, sine quibus disci non potest, quod maiores volunt, qui vix aliquid utiliter volunt, quot & quantis pœnis genus agitent humanum, qua non ad malitiam, nequitiamque iniquorum, sed ad conditionem pertinent, miseriamque communem, quis ullo sermone digerit, quis ulla cogitatione comprehendit: quantus est metus, quanta calamitas ab orbitatibus, atque luctu, à damnis & damnationibus, à deceptionibus & mendacijs hominum, à suspicionibus falsis, ab omnibus violentis facinoribus, & sceleribus alienis: quandoquidem ab eis & depraedatio, & captivitas, & vincula, & carceres, & exilia & cruciatus, & amputatio membrorum, & privatio sensuum, & oppressio vigoris ad obscenam libidinem opprimentis expleudam, & alia multa horrenda sæpe contingunt. His ignorantia animique malis & pœnis, immò &

VI.